



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. II. De Effectibus Indulgentiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

tisper, sive mentaliter, sive vocaliter; cum visitanda sit Ecclesia, quæ a Christo Domino dicitur esse domus orationis.

IV. Dubium est secundo; An si pluries Ecclesia visitetur, possit pluries acquiri plenaria indulgentia tali Ecclesiae concessa?

Respondeo cum Suar. disp. 17. sect. 1. & aliis communiter, distinguendum esse; vel enim conceditur indulgentia indefinite visitantibus Ecclesiam, vel definite quoad tempus, verbi gratia in die talis festi; Si primo modo concedatur, potest pluries in eodem die acquiri; secus vero, si secundo modo. Ratio est, quia quando indulgentia conceditur indefinite, non est verisimile concedi pro una tantum vice tota vita. Neque possumus rationabiliter illam limitare ad semel in anno, aut etiam in hebdomada; quare intelligi potest solum limitata ad semel in die, quæ determinatio habetur, tum ex communi usu, & consuetudine, tum ex decreto Innoc. XI. Quamvis Navar., & Laym. cap. 3. cum aliis docuerint, posse etiam pluries in die acquiri, si pluries devote, ac pie visitetur. Quod si indulgentia concessa sit definite quoad tempus pro una tantum vice, unicuique concessa censetur, ut docet Suar. loc. citato. Notandum tamen, quod in Opusculo de Jubilæo quæst. 6. art. ult. fusius prosecutus sum, videlicet probabile esse, quod possimus Indulgentiam plenariam eodem die pluries lucrari, si illam pro variis defunctis applicemus, quin id adversetur decreto Innoc. XI.; tum quia in revocatione Indulgentiarum non intelliguntur revocata Indulgentiæ applicabiles pro defunctis, nisi id exprimat, cum revocatio Indulgentiarum sit odiosa, atque adeo restringenda; tum etiam quia sic stat fixum decretum Innoc. XI.; quod nemo pluries eodem die

plenariam Indulgentiam lucretur, si illam pluries non pro se, sed pro variis defunctis acquirat.

V. Dubium est tertio; an diruta Ecclesia, pereat indulgentia, quæ visitantibus illam fuerat concessa?

Respondeo, cum eodem Suar., quod si paulatim diruatur, & paulatim reficiatur, Indulgentia perseveret; Sicut pariter perseverat talis Ecclesiae consecratio; quia semper Ecclesia est eadem moraliter, quamvis nihil antiquæ Ecclesiae remaneat; secus vero, si tota simul destruat, & reedificetur. Et idem dicas proportionatiter, si alicui Rosario indulgentia assignatur.

VI. Dubium est quarto; An factis sit extra Ecclesiam preces fundere ad lucrandam indulgentiam, quando quis non potest præ turba illam ingredi?

Respondeo affirmative cum Suar. disp. 52. sect. 1. Laym. cap. 3. Et ratio est, quia in tali casu censetur homo moraliter Ecclesiam ingredi: Sicut communiter docent Doctores satisfieri præcepto audiendi Missam ab eo, qui ita est extra Ecclesiam, ut faciat unum moraliter cum aliis, qui intra Ecclesiam Missam audiunt.

Dividitur ultimo Indulgentia in perpetuam, & temporalem; illa perseverat, donec revocetur; ista ad tempus determinatum conceditur; unde eo finito cessat.

ARTICULUS II.

De Effectibus Indulgentiæ.

- I. Num per Indulgentiam culpa venialis aliquando remittatur?
- II. An qui lucratur Indulgentias, possit per illas eximi tum ab inmundis poenitentis, tum etiam ab aliis poenis in Purgatorio luendis?
- III. Quid si in Bulla exprimat, Indulgentias concedi pro poenis inmundis?

IV.

IV. *Citra Pontificis concessionem non possunt Indulgentia nobis concessa pro defunctis applicari.*

V. *Quid requiritur, ut Indulgentia defunctis proficiat?*

VI. *Etiam peccator potest Indulgentiam pro defunctis lucrari.*

VII. *Num Indulgentia defunctis applicata proficiat illis infallibiliter?*

I. **D**iximus Indulgentiarum effectum esse remissionem vel totalem, vel partialem poenae temporalis pro peccatis luendae in Purgatorio.

Quaeritur nunc primo; An per Indulgentias peccatum aliquod remittatur?

Respondeo, certum esse, nullum mortale quoad culpam remitti per Indulgentias; etenim ex Trident. sess. 14. cap. 4. Iustificatio impii post Baptismum fieri non potest sine contritione, aut saltem attritione conjuncta cum Sacramento. De venialibus est pariter quasi certum, quia non remittitur in hac vita culpa venialis sine infusione gratiae, quae per Indulgentiam non confertur, ut communiter docent, & constat ex indulgentiae definitione.

II. Quaeritur secundo; An per Indulgentias possit quis liberari non solum a poenitentis satisfactoriis sibi injunctis in Confessione Sacramentali, sed etiam ab omnibus aliis in Purgatorio luendis?

Respondeo cum communi affirmative; ad hoc enim institutae sunt Indulgentiae, ut per illas poena tam in hoc, quam in alio Mundo debita condonetur; Et quidem quod per Indulgentias condonentur poenae satisfactoriae injunctae pro hac vita, constat ex usu primitivae Ecclesiae, quae per Indulgentias remittebat poenas injunctas poenitentibus; Verbi gratia, per Indulgentias septem annorum poenas,

quae septennio erant tolerandae. Quod etiam aliae poenae pro peccatis debita per Indulgentias tollantur, patet etiam, quia caeteroqui Indulgentia plenaria non tolleret omnem omnino poenam debitam; Ex quo etiam sequeretur, non posse Pontificem solvere omne vinculum impediens ingressum ad Patriam; quod adversatur dicto illi Christi Domini, *Tibi dabo claves Regni Celorum &c.* Quare per Indulgentiam plenariam omnis omnino debita poena remittitur, per alias vero Indulgentias pars poenae illi correspondens. Esto incertum sit, quid cuique Indulgentiae correspondeat. Quod si Indulgentia excedat debitum, excessus ille remanet in Ecclesiae thesauro; Velsi indulgentiae sint ex iis, quae possint applicari defunctis, illis applicantur juxta lucrantis intentionem, & divinam acceptionem.

III. Dubium est; An possit quis per Indulgentias liberari ab aliis poenis debitis, etiam quando in Bulla conceduntur expresse Indulgentiae *de poenis injunctis*?

Respondeo, cum Con. disp. 12. de Sacram. dub. 3., & Suar. disp. 50. sect. 3., & aliis communiter affirmative. Ratio est, tum quia in cap. *Ex parte 17. De decimis* habetur; *Ubi majus conceditur, etiam minus concessum esse videtur*; quae regula locum habet in iis, quae sunt ejusdem rationis, & per se ad idem privilegium, seu potestatem pertinent; tum etiam quia clausula illa *de injunctis poenis* apponitur ad augendam, non ad limitandam concessionem; Sicut, verbi gratia, quando in facultate absolvendi sacramentaliter additur clausula *a reservatis*, per illam procul dubio intelligitur pariter concessa facultas absolvendi a non reservatis, ob regulam traditam. Unde fit, quod si poenitens compleverit jam poenitentiam sibi a Confessario injunctam, adhuc per talem indulgentiam

liberatur a reatu, si quem habet, alterius poenae secundum mensuram illius indulgentiae. An autem per Indulgentiam plenariam cesset obligatio poenae a Confessario impositae, seu obligatio satisfactionis Sacramentalis, etiam quando poena est medicinalis, dummodo poenitens adhibeat aliud remedium, si est opus, ad non recidendum? Examinavimus supra in quaest. sexta de satisfactione, articulo tertio.

IV. Quaeritur tertio; An Indulgentias, quas acquirimus, possimus applicare pro defunctis?

Respondeo cum Con., & aliis communiter, non posse nos propria auctoritate applicare illas pro defunctis; posse vero, si ita a Pontifice concedantur. Ratio est, quia, ut dicemus art. sequente, solus Pontifex potest pro defunctis Indulgentias concedere, idque non per modum absolutionis, quia in defunctos jurisdictionem non habet, sed per modum solutionis, seu suffragii, hoc est per exhibitionem pretii sufficientis ex thesauro Ecclesiae in satisfactionem pro peccatis illorum.

V. Dubium tamen est primo, quid requiratur, ut Indulgentiae, quae defunctis applicantur, illis profint.

Respondeo, requiri primo, ut opus inunctum ea intentione fiat, ut Indulgentiae acquirantur defunctis; non enim aut sibi, aut alteri quisquam Indulgentiam acquirit, nisi id velit. Secundo, ut Deus satisfactiones huiusmodi pro defunctis exhibitas velit pro

VI. Dubium est secundo, num ad illis acceptare.

acquirendas Indulgentias pro defunctis, satis sit dumtaxat habere intentionem, quod iis profint; an vero requiratur etiam, quod opus praescriptum sit satisfactorium, & offeratur in satisfactionem pro ipsis?

Respondeo ex Con. dub. 7. sufficere primum; immo nec esse neces-

se, ut opus inunctum sit de se satisfactorium; eo quod opus illud sit solum quaedam conditio, qua posita, Pontifex sua concessione applicat Indulgentias huic, vel illi, exhibendo videlicet Deo de thesauro Ecclesiae Satisfactiones Christi Domini, & SS., ita ut relate ad vivos a reatu poenarum absolvat, relate vero ad defunctos mere offerat Deo solutionem pro poenis luendis. Unde sequitur, quod possit quis Indulgentias lucrari pro defunctis, etiam si opus inunctum ponat in statu peccati mortalis, cum non debeat tale opus, ut diximus, esse de se satisfactorium, sed sufficiat, quod sit utile ad finem intentum, quam utilitatem habet, etiam si fiat a peccatore; Econtra, ut homo lucratur Indulgentias pro se, debet ultimum opus inunctum ponere in gratia, ut patet; quia poena non tollitur, non sublata culpa.

VII. Dubium est tertio; An Indulgentiae pro defunctis concessae infallibiliter illis profint, si illis applicentur?

Respondent aliqui cum Sor., Navar., Valent., Suar., Con. apud Dian. part. 9. tract. 2. resol. 3., & apud Laym. cap. 7. affirmative; quia Christus Dominus thesaurum suarum satisfactionum reliquit Pastori Ecclesiae dispensandum aequae pro vivis, ac pro defunctis. Probabilior tamen est sententia negativa Bonav., Ricard., Cajet., Henr., & aliorum; Siquidem neque ex ullo Scripturae loco, neque ex ulla certa traditione constat, Christum Supremum Judicem obligasse se ad acceptandas satisfactiones ab Ecclesia oblatas pro libertate defunctorum; Etenim promissio illa, *Quicquid solveris super terram*, ad vivos tantum refertur; cum iudiciaria potestas, quae illis verbis traditur, in defunctos exerceri non possit: Quare Indulgentiae non applicantur pro defunctis per

modum absolutionis, sed per modum suffragii, supplicando Deum, ut satisfactiones pro illis exhibitas misericorditer acceptare dignetur.

Confirmatur hoc ex usu Ecclesiae, quae etiam post applicatam alicui indulgentiam plenariam per sacrificium in altari privilegiato oblatum, alia, & alia offert Sacrificia, ut constat ex Anniversariis; ergo signum est, quod quamvis ex divina misericordia speretur, tales oblationes, & indulgentias habituras esse effectum suum, non tamen hoc pro certo, & infallibili habeatur. Hinc probabilis redditur doctrina Henr., & Rodriq. apud Laym., quod Deus longe facilius acceptet oblationes, & suffragia oblata pro iis defunctis, qui in hac vita magis pro suis peccatis satisfacere, & Indulgentias lucrari, & pro defunctis orare studuerunt.

Neque dicas, hinc sequi, neque esse certum, quod Indulgentiae applicari, & prodesse possint defunctis ex concessione Pontificis. Nam oppositum constat ex praxi Ecclesiae; idque tradit Leo X. in Epistola ad Lutherum apud Cajet. pag. 39. 48. art. 5., Si enim quis privatus applicare potest satisfactiones suas pro defunctis, quidni etiam Pontifex applicare pro iisdem poterit satisfactiones Christi, & SS. ? Et sane omnes Catholici communiter censent, Communionem Sanctorum, quam in Symbolo profitentur, in eo consistere, quod unius satisfactio pro altero oblata ei prodest; etenim cum simus membra unius corporis, actiones unius censentur quodammodo alterius: Quare sicut possum pro alio restituere quod alienum; sic etiam possum pro aliis satisfacere, tam apud homines, quam apud Deum; etiam requiratur, ut offensus benigne velit in satisfactionem acceptare oblationes non ab ipso delinquente, sed ab aliis pro ipso oblatae: Quod si

possum pro defunctis offerre satisfactiones proprias, potero pariter pro iisdem ex Pontificis concessione offerre satisfactiones Christi Domini, & Sanctorum, quas per indulgentias mihi applicarem; & sic per indulgentias satisfacere pro defunctis; unde certum, ac de fide est, Indulgentias pro defunctis applicari posse, ac illis prodesse; quamvis, ut illis profint, requiratur benigna Dei acceptatio: Et quia ad hanc Deus non se obligavit, idcirco non semper Indulgentiae pro defunctis applicatae profunt illis infallibiliter.

ARTICULUS III.

Quinam possit Indulgentias concedere?

- I. Datur discrimen inter Indulgentias, quas Pontifex largitur vivis, & eas, quas concedit pro defunctis.
- II. Potestas clavium latius patet, quam potestas jurisdictionis.
- III. Nequeunt Episcopi citra Pontificis concessionem Indulgentias largiri.
- IV. Possunt vivis, utpote subditis, potestate ordinaria nonnullas Indulgentias concedere, non tamen applicabiles pro defunctis.
- V. Nequeunt Abbates, aut Parochi Indulgentias ullatenus concedere, nisi ex speciali concessione.

I. **Q**uæritur primo; Utrum Pontifex possit tam pro vivis, quam pro defunctis Indulgentias concedere?

Respondeo, ex dictis facultatem hanc concessam esse a Christo Domino immediate Summo Pontifici, cui dixit, *Tibi dabo claves Regni Cælorum, &c.*, unde non solum potest per Sacramentorum collationem tollere culpas, sed etiam per Indulgentiarum collationem tollere pœnas, & sic aperire cuilibet

Re-